



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VALLISPASCHALENSIS**\*DIOECESIS  
CALABOCENSIS DIVIDITUR ET NOVA  
CONSTITUITUR DIOECESIS VALLISPASCHALENSIS

Cum, ad aptius evangelizandas Reipublicae Venetiolae gentes regionem seu « Estado », cui nomen Guárico, habitantes, Venerabilis Frater Helimenas Rojas Paredes, Episcopus Calabocensis, audita Conferentia Episcopali Venetiolana, ob amplitudinem ecclesiasticae circumscriptionis incolarumque multitudinem sibi concreditorum, postulaverit ut ex detracto ab eadem dioecesi territorio alia constitueretur Ecclesia localis, Nos, faventibus probatis sententiis Venerabilis Fratris Oriani Quilici, Archiepiscopi titularis Tablensis, in Venetiola Nuntii Apostolici, atque Congregationis pro Episcopis, Christifidelium illic degentium utilitate considerata, haec quae sequuntur decernimus Nostrae Apostolicae potestatis et auctoritatis usu plenitudine.

A dioecesi Calabocensi integrum distrahimus territorium civilium districtuum vulgo « distritos » appellatorum: Monagas, Ribas, Infante et Zaraza ex iisque novam condimus dioecesim Vallispaschalensem denominandam, iisdem circumscriptam finibus, quibus ipsi districtus, simul sumpti, lege civili ad praesens terminantur. Sedem episcopalem novae dioecesis in urbe collocamus sermone patrio « Valle de la Pascua » vocata, templumque paroeciale ibi exstans Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a populis « Nuestra Señora de la Candelaria » dictae dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus, cum privilegiis et honoribus eiusmodi Ecclesiarum propriis. Eiusdem Sedis Episcopum pro tempore quoad insignia, privilegia, iura simulque onera et officia ceteris Ordinariis locorum exaequamus eumque, dioecesi Vallispaschalensi suffraganea facta Metropolitanae Ecclesiae Cumanensis, huius Ecclesiae Archiepiscopi iuri metropolitico subicimus.

Ut sacrorum Praesuli novae dioecesis conveniens praebeatur auxilium, Collegium Consultorum volumus quam primum ad normam iuris eligi; utque idem congruenter sustentetur, statuimus illi prospici dote a civilibus Rectoribus danda, emolumentis Curiae, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione, secundum canonem n. 122 faciendam, bonorum quae hucusque ad

patrimonium dioecesis Calabocensis pertinuerunt. Quod ad seminarii dioecesiani constitutionem spectat et formationem candidatorum ad Ordinem sacerdotalem, ius commune servetur, prae oculis habitis etiam norms a Congregatione de Institutione Catholica propositis. Cum fieri poterit, selecti seminarii alumni philosophicis et theologicis imbuendi necnon sacerdotes ad studia ecclesiastica complenda Romam, ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Item sacri canones adamussim serventur quod attinet ad novae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, electionem « sede vacante » Administratoris dioecesiani, fidelium iura et onera aliaque id genus. Simul ac Vallispaschalensis dioecesis constitutio ad effectum erit adducta, sacerdotes Ecclesiae illi ascripti censeantur, in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri autem sacerdotes, clerici seminarii que tirones illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad institutam dioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curia Calabocensi ad Curiam Vallispaschalensem sine mora mittantur.

Ad haec omnia perficienda Venerabilem Fratrem Orianum Quilici, quem supra memoravimus, legamus, vel qui actu negotia geret Nuntiaturae Apostolicae in Venetiola, necessarias et opportunas eis tribuentes facultates, etiam delegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis quam primum sincerum exemplar peractae executionis mittendi.

Ex Aedibus Vaticanis, die vicesimo quinto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost. s.n.*

\*A.A.S., vol. LXXXIV (1992), n. 11, pp. 1053-1055

